



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LXIV. An Deus certo sciat futura contingentia ex ipsorum
præsentia reali in æternitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Socratem esse hominem album. Sed hoc etiam nihil est, quia cum dicitur, Deus scivit esse futurum hoc contingens, contingens non ponitur ibi nisi ut materia verbi, & non sicut principalis pars propositionis. Vnde contingentia eius, vel necessitas nihil refert ad hoc, quod propositio sit necessaria vel contingens, vera vel falsa. Ita enim potest esse verum, me dixisse hominem esse alium, sicut me dixisse Socratem currere vel Deum esse, & eadem ratio est de necessario & contingenti. Vnde dicendum est, quod antecedens, est necessarium absolute. Nec tamen sequitur, ut quidam dicunt, quod consequens sit necessarium absolute: quia antecedens est causa remota consequentis: quod propter causam proximam contingens est. Sed hoc nihil est. Esset enim conditionalis falsa, cuius antecedens esset causa remota necessaria, & consequens effectus contingens. Vt puta, si dicerem, si Sol moueretur, herba germinabit. Et ideo aliter dicendum est, quod quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animæ, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est, sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in seipsa, & esse rei in anima, Vt puta, si dicam, si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est quod illud est immateriale, secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam, si Deus scivit aliquid, illud erit. Consequens intelligendum est prout subest diuinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentia. Et sic necessarium est sicut & antecedens. Quia omne quod est, quando est, necesse est esse, ut dicitur in primo perihermias.

Lib. 1. Perihermias. c. 8.
declinando
ad finem.

Ad tertium dicendum, quod quæ temporaliter in actum reducuntur, à nobis successiue cognoscuntur in tempore, sed à Deo in æternitate, quæ est supra tempus. Vnde nobis, quia cognoscimus futura contingentia in quantum talia sunt, certa esse non possunt, sed soli Deo cuius intelligere est in æternitate supra tempus. Sicut ille, qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt: sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transeuntes per viam. Et ideo illud, quod scitur à nobis, oportet esse necessarium etiam secundum quod in se est: quia ea quæ in se sunt contingentia futura, à nobis sciri non possunt. Sed ea, quæ sunt scita à Deo oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt diuinæ scientiæ (ut dictum est) non autem absolute,

In cor. art.

secundum quod in proprijs causis considerantur. Vnde & hæc propositio, omne scitum à Deo necessarium est esse: conuenit distingui, quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re, est diuisa & falsa, & est sensus, omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto: & sic est composita & vera: & est sensus, hoc dictum scitum à Deo esse est necessarium. Sed obstant quidam dicentes, quod ista distinctio habet locum in formis separabilibus à subiecto. Vt si dicam, album possibile est esse nigrum. Quæ quidem de dicto est falsa, & de re est vera. Res enim quæ est alba, potest esse nigra, sed hoc dictum, album esse nigrum nunquam potest esse verum. In formis autem inseparabilibus à subiecto non habet locum prædicta distinctio. Vt si dicam, coruum nigrum possibile est esse album: quia in utroque sensu est falsa. Esse autem scitum à Deo est inseparabile à re, quia quod est scitum à Deo, non potest esse non scitum. Hæc autem instantia locum haberet, si hoc quod dico scitum importaret aliquam dispositionem subiecto inhaerentem: sed cum importet actum scientis ipsi rei scitæ, licet semper sciatur, potest aliquid attribui secundum se, quod non attribuitur ei in quantum stat sub actu sciendi. Sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei secundum quod est intelligibile.

Conclusio est affirmans, & verissima. Sed circa illam, & ea, quæ S. Thom. in a. docet, multa sunt discussione digna, quæ seq. disput. nobis examinanda sunt.

DISPUTATIO LXIV.

An Deus certo sciat futura contingentia ex ipsoꝝ præsentia reali in æternitate.

Secundum fidem Catholicam & philosophicam rationem Deum præscire omnia futura. cap. 1.

Ex sententia Ricardi & aliquorum Thomistarum futura contingentia præsentia sunt in æternitate & inde certo à Deo cognoscuntur. cap. 2.

Res non esse realiter præsentis æternitati ab æterno nec talem præsentiam esse rationem certitudinis scientiæ Dei, veterior opinio fert. cap. 3.

Satisfit argumentu prioris sententiæ. cap. 4.

Quid de hac præsentia senserit S. Thomas. cap. 5.

CAPVT I.

Secundum fidem Catholicam, & philosophicam rationem Deum præscire omnia futura.

VT statim præsentis disputationis intelligamus, notandum est, duo esse genera futurorum in vniuersum, quædam sunt necessaria omnino, quæ non solum à causa naturali, & ad vnum determinata proueniunt; sed neque naturali aliqua oppositione causarum impediti possunt,

I
Duplici
in oram
genus.

Futura de-
pender sunt
contingentia.

sunt, ut est Solis ortus, & eclipsis, & id genus alia: & hec non tantum a Deo, verum etiam ab Angelis, & hominibus certo cognoscuntur: ac proinde de illis controuersia propolita non est. Alia vero sunt futura contingentia: sed de hac ad hoc dupliciter dicuntur: quædam omnino proueniunt a causa naturali, quæ tamen impediri potest ab alia aut libera, aut naturali: sed quia hoc illi est per accidens, euentus, qui ex illa sequitur, dicitur etiam contingens: quia ita eueniet, ut tamen possit non euenire sicut pluuia futura & alia impressiones naturales in his inferioribus, morbi, regitudines & similia. Hæc autem dicit ab hominibus non ita certo cognoscantur, ut in eorum cognitione decipi non possint, ab Angelis tamen certo, & euidenter sciuntur, ut ostendimus disput. 207. quoties in his euentibus solum interuenit concursus, & occurfus causarum naturalium, & nulla causa libera aliquo modo intercedit. Nam si isti euentus eueniant, aut non eueniant, aliqua causa libera, aut applicante, aut impediante, eorum eadem erit ratio, atque effectuum, qui ab ipso libero arbitrio proxime proueniunt: utrique enim certo, & infallibiliter cognosci nequeunt, etiam ab Angelo, ut ibidem demonstrabimus. De his etiam, ut pendunt solum a causis naturalibus, & nullo modo a libera, non est accipienda questio propolita: manifestum enim est, ea a Deo certius sciri, quam ab Angelis. Est deinde alterum genus effectuum contingentium, qui primo, & proxime, aut saltem remote ex libero pendunt arbitrio, & de his est in præsentibus disputandum. Supponimus autem nunc id, quod breuiter dicimus disput. 68. cap. 1. esse videlicet liberum hominis, & Angeli arbitrium, quod sua natura facultate possit operari, & non operari; operari circa vnum, & circa oppositum.

2.
Augustinus.
Ciceronis
err.

Fundamen-
tum illius
Aristotelis.

3.
In idem suis
Arist.

Arimin.

Ex scriptura
& ratione
manifestum.

De horum ergo futurorum contingentium scientia refert Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 9. errorem Ciceronis, qui, ut fortunam, casum, & libertatem in operando defenderet, scientiam infallibilem futurorum contingentium etiam Deo denegauit: ac proinde omnem diuinationem, & prophetiam incertam esse dicebat: ita docuit secundo de diuinatione disputans cum Quinto fratre: ille namque primo libro eam defenderat: verba Ciceronis sunt. Nihil est tam contrarium rationi, & constantia, quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat quid casu, & fortuito futurum sit. Utitur autem ratione qua Aristoteles de interpret. 6. 8. probauit in contradictionibus singularibus, de futuro contingenti non esse vnam veram, alteram falsam, sed quamlibet veram, aut falsam, his verbis. Si enim sciret (scilicet Deus) certe illud eueniret, sin certe eueniret, nulla fortuna est: est autem fortuna, rerum igitur futurarum nulla præsentia. Tercio tamen libro de natura Deorum magis consentaneum rationi censet, scientiam futurorum Deo concedere.

In hoc eodem errore existimo fuisse Aristotelem: nam omisso errore, quem de prouidentia Dei circa futura tradidit, de quo disput. 87. dicendum est, scientiam etiam simplicem speculatiuam contingentium negasse Deo videtur ex eo, quod cap. illo 8. veritatem determinatam, aut falsitatem in singularibus propositionibus, de contingentibus esse negauit. Sic putat Greg. Ariminensis, ut disput. 66. r. ferebimus, & ex doctrina ipsa Aristotelis manifeste colligimus.

Hæc sententia omnibus etiam hereticis con-
Valquez in 1. part. Tomus I.

sentientibus, est manifestus error contra Scripturam sacram, Esai. 41. Dicite nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, Dissolu vos. clarissime etiam damnatur Ecclesiastici 23. & 29. Ioan. 14. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, & alibi sæpenumero. Nec solum id nobis Scriptura constat: sed etiam vel ipso lumine naturali res adeo nota est, ut qui affirmare audeat, non nescire futura contingentia, & libera, perinde se habeat, atque si cum insipienti diceret. Non est Deus, Psal. 13. & 13. ut bene notauit Augustinus lib. de ciuit. cap. 9. circa finem. Ita enim repugnat esse Deum insipientem, & in rebus futuris cognoscendis dubium, atque ipsum non esse. Deus enim cum auctor omnium rerum constituitur, eo ipso quod est Deus, sapiens esse debet, & omnia scire: alioqui quomodo auctor eorum esse posset: denique disput. seq. cap. 4. optima ratione naturali a priori demonstrabimus, Deum hoc ipso, quod Deus est, omnia sigillatim certissime cognoscere, etiam contingentia futura.

Hæc igitur veritate præmissa, quæ omnibus in confesso est, superest cum nostris Scholasticis non parua dissensio in assignanda ratione, ob quam, cum futura contingentia non sint necessaria, nec ad vnum determinata, sed in differentia, ut possint esse & non esse, possit Deus non solum ea cognoscere, sed etiam certa, & infallibili scientia comprehendere. Catholici enim omnes, imo & gentiles Philosophi optima ratione conuicti, ita debent Deo scientiam futurorum tribuere, ut ea non sit coniectura tantum, quæ falli possit, sed certa & infallibilis notitia, non minus, quam si ea præsentia intueretur. Coniectura enim adeo imperfecta scientia est, ut in Deum cadere non possit: quippe qui sit summa veritas, & infinita, & intellectus eius summe perspicax, omnique prorsus imperfectionis expertus. De ratione igitur, ob quam Deus certo scit futura contingentia, nunc est nobis differendum, atque in hac disput. de præsentia illa reali in æternitate, quam in titulo proposuimus.

CAPVT II.

Ex sententia Ricardi, & aliquorum Thomistarum futura contingentia præsentia sunt in æternitate, & inde certo a Deo cognoscuntur.

IN difficultate vero propolita Ricardi in 1. d. 38. q. 1. & d. 9. art. 1. q. 1. Capreolus in 1. d. 36. q. 1. art. 2. & d. Ricard. 38. q. 1. art. 1. conclus. 1. & 1. Caiet. & recentiores Thomistæ in hoc art. Ferrariensis. 1. contra gent. cap. 66. §. Secundum dub. & Catherinus in opusculo de præsentia, & prouidentia, non solum censet, futura omnia contingentia semper fuisse realiter præsentia in mensura æternitatis Dei, sed etiam hanc esse vnicam rationem, ob quam Deus non coniectura probabili, sed certo cognoscit futura. Hanc opinionem mirifice laudat Caiet. & solita subtilitate accurate explicat. Imo post diuina considerationem se primū eam adiuuasse, & ad mentem S. Th. congruenter accommodasse, plurimum gloriatur: cum tamen nihil noui doctrinæ Ricardi addiderit. An vero id etiam senserit S. Th. inferius c. 5. dicemus.

Notat igitur ipse, bifariam posse dici res præsentibus reali præsentia æternitati. Primū ut in quo libet instanti temporis sint præsentia, atque eorum existentia in ipsa æternitate sub mensuram cuiuslibet temporis cadat: & hanc doctrinam putat omnino falsam, nec eam Doctore Sancto vnquam in mentem venisse, aut ipsum eam somniasse: & in hoc sensum manifeste falsum inquit, aduersarios opinionem Sancti Thomæ impugnare. Porro autem

Esai. 41.
Ecclesi. 23.
Ioan. 14.

Psal. 23. 53.
Augustinus.

4

Ricard.
Capreol.
Caietanus
Ferrariensis
Catherinus

S. Thom.

6
Explicatio
Caiet.

tem falsam esse doctrinam hoc modo explicatam, patet: nam cum ortus Solis crastina die futuros, non cadat sub mensuram cuiusvis temporis, sed futuri crastinae diei duntaxat, fieri nequit, ut ille pro qualibet temporis duratione, & instanti, & æterno fuerit præsens æternitati Dei, perinde enim esset, ac si ab æterno tempore capisset, & durasset: quare pro quolibet tempore, hoc est, quolibet tempore existens, non potest æternitati præsens esse.

Deinde potest hæc doctrina sic explicari: in quolibet nunc, aut instanti æternitatis, quæ tota simul est, res futuræ sunt præsentes æternitati, & intellectui Dei reali præsencia, & (ut aiunt) reali coexistentia, hoc autem modo intellecta, verissima sententia est, & iuxta mentem, & sensum S. Th. quare distinguenda, (inquit) sunt hæc propositiones, & similes: *Omnia sunt præsencia æternitati, omnia sunt semper præsencia: Omnia ab æterno sunt.* Nam aut verbum, *sunt*, significat durationem, & mensuram solam æternitatis, & sunt veræ: aut simul etiam dehorat mensuram, & durationem temporis: & sunt falsæ. Ex hac doctrina existimat omnia argumenta Scoti, & Durandi facili negotio posse dissolui.

Hæc opinio probatur primum auctoritate Patrum: deinde ratione. Ex patribus est in primis Aug. qui lib. 2. ad Simplicianum eam expressisse videtur. Nam postquam docuit in Deo dictam fuisse præscientiam sicut etiam pœnitentiam, non quia reuera præsciât, aut ipsum pœniteat, sed improprie, & metaphorice, quia se habet instar pœnitentis, & præscientia aliquid, id probat his verbis, *Quid enim est præscientia, nisi scientia futurorum: quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futura, sed præsentes, ac per hoc non iam præscientia, sed tantum scientia dici potest.* Ex quibus hæc ratio deduci potest: aut Aug. loquitur de præsentia reali futurorum in æternitate, & sic Caiet. sententiam adstruit: aut de præsentia, quam dicunt obiectivam, qua videlicet res qualivocque, siue præteritas, siue futuras, siue possibiles tantum cognoscens, sibi facit ipsa solum notitia earum præsentes, quia nimirum sibi eas repræsentare dicitur: non de præsentia obiectiva, sic enim non recte probaret Aug. in Deo non esse proprie præscire: namque prophetae verè, & proprie præscire dicuntur futura, ea tamen ipsa prædictione & præscientia habent sibi præsentia obiectiva. Tum etiam ex eo quod res futuræ non sint verè Deo præsentes, infert Aug. idem omnino bis à Deo cognosci, ut inferius referemus: id autem non sequitur, si loquamur solum de præsentia obiectiva. Nam si bis idem à Deo scieretur, primum esset, quando illud esset adhuc futurum, deinde quando iam esset præsens: sed id, quod à Deo cognoscitur, semper est præsens præsentia obiectiva, & nunquam est obiectiva futurum ut constat: ergo Aug. non loquitur de præsentia obiectiva, sed de reali.

Id ipsum non minus dilucide tradit Boethius lib. 5. de consolatione prola vltima, *Omnia* (inquit) *quæ iam generantur, in sua simplicia cognitione considerat, namque si præscientiam pensare velis, quæ cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficienti instantis aestimabis.* Ex quo subinde infert, non prævidentiam, sed providentiam in Deo dicendam esse.

Accedit Greg. qui lib. 20. moral. c. 23. alias 24. id ipsum docuit: cum affirmat, eodem prioris modo in Deo dici præscientiam, atque pœnitentiam: proponens autem dubitationem ait. *Quomodo est præsciens (scilicet Deus) iam nulla nisi quæ futura sunt, præsciatur, & scimus, quod Deo futurum nihil est, ante cuius oculos præterita nulla sunt, præscientia non transeunt, futura non veniunt, quippe quia omne, quod nobis fuit, & erit, in eius prospectu præstus est, & omne, quod præsens est, scire potest potius, quam præscire.* Sed cur nihilominus dicatur Deus communiter præscire, paulo post subiecit. *Et quia ea quæ nobis futura sunt, videt, quæ tamen ipsi semper præstus sunt, præsciens dicitur, quamvis nequaquam futurum prævidet, quod præscire videt.* In his verbis, præter argumentum quod ex Aug. deprompsimus, idem enim nunc etiam fieri posset, observandum est, ea sola ratione ex sententia Gregorij metaphorice dici in Deo præscientiam, quia res nobis futuræ sunt, non ipsi Deo: quod de præsentia reali necessario debet intelligi: nam si de obiectiva tantum loqueretur, falsum omnino esset, ideo dici in Deo futurorum præscientiam, quia futura nobis sunt obiectiva. Etenim & præsentia in hoc tempore, quæ nondum cognoscimus, sed deinde cognoscemus, non dicitur Deus nunc præscire, adhuc improprie, & metaphorice, ex eo quod à nobis cognoscenda sunt, & obiectiva illorum præsentiam simus habituri; ob eandem enim rationem diceretur præscire Deus præterita, quæ nōdum novimus, & postea cognoscemus. Denique Anselmus opus de concord. lib. arbit. & prædest. ca. 2. & Hugo de S. Victore in summa sententiarum tractatu 1. ca. 12. eandem sententiam, & verba ex Aug. sumpsisse, manifestum est.

Præterea adduci possunt Patres, qui docent, Deo nihil esse futurum, sed in ipso tantum reperi, Est, non erit, vel, fuit: ex quibus multos allegavimus disp. 32. c. 2. Sed quod ad Dei scientiam spectat, id videtur expressius tradidisse idem Greg. 9. moral. cap. 26. alias 25. in hæc verba, *Eique (scilicet Deo) nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura, quæst, quæ non apparent, de sunt, quia is, qui semper esse habet, cuncta sibi præscientia conspiciat: cumque aspiciendo post, & ante, non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* Idem dicit Beda in 3. tom. lib. 9. q. 13. post medium: *sed clarissime Anselmus opuscul. de concord. liberi arbit. & prædestinationis c. 1. post medium, ubi de æternitate Dei, cui asserit solum convenire, Est, sic inquit. Si quidem quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt: ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore.* Ergo cum omnis locus simul sit realiter præsens tempori præsenti; sic etiam omne tempus sub ipsa æternitate simul erit.

Ratione vero hæc opinio probatur primo, quia Dei duratio, cum sit infinita, & æterna, non potest non amplecti omne tempus, & omnium rerum durationes præteritas, & futuras; est autem tota simul: ergo simul sine successione omnia in se continent: atque ideo comparatur à S. Th. 1. contra gen. c. 8. Thom. 66. puncto centri, ut sicut ipsi omnia puncta circumferentiæ constanter respondent, cum inter se distent, & separata sint; sic etiam ad æternitatem individua omnia creata, quæ in sua temporis duratione invicem distant, & separata sunt, permanentiter referantur.

Secundo confirmari potest ratione, qua vitur Allegatus loco allegato, ut probet, in Deo non esse

Primum
Aug.
testimonium
pro hac sen-
tentia.

Ratio ex te-
stimonio
Aug. n.

Boethij te-
stimonium.

Alibi
Gregorius

Gregor.
testimonium
videtur.

Anselm.
Hugo

Aliter
Gregorius

Beda
Altimus

Prima ratio

S. Thom.

Secunda
ratio

Aug.

esse præscientiam: nam si apud Deum futura nondum sunt, sicut etiam in ipso ordine rerum accidit; sed Deus scientia sua futura præuenit: ergo, *Bis* inquit Aug. *ita sentit, vno quidem modo secundum futurorum præscientiam; altero vero secundum præsentium scientiam.* Quib. verbis ipsemet Augustinus infert incommodum illud, videlicet eadem bis à Deo cognosci, si futura ei præsentia non sunt. Sed præter illius auctoritatem, ratione etiam probatur, ita sequi: nam Deus primum dicitur scire rem, quando est vere futura, deinde cum est iam realiter præfens, quamvis enim ex hoc nulla realis in Deo mutatio sequatur; sola tamen rerum mutatio sufficit, ut scientia Dei ad ipsas varie relata, varia etiam, & diuersa dicatur: quemadmodum aliter dicitur scire res futuras, aliter vero solum possibiles: hoc est, eius essentia omnino re ipsa immutata, comparata ad possibilia, dicitur scientia Dei: ergo modo, collata vero cum futuris, dicitur scientia altero modo: quid igitur mirum si collata cum rebus futuris, & comparata cum præsentibus, dicatur vario modo ipsa res cognoscere, nulla facta reali mutatione in seipsa.

Tertia ratio. Tertium argumentum: nisi ratione præsentia in æternitate dicamus, res contingentes certo & infallibili scientia à Deo cognosci, vix potest alia causa assignari certitudinis scientia Dei: ergo merito illam concedit hæc opinio, ne cogantur auctores illius cum aliquibus Scholasticis fateri, occultam esse causam talis certitudinis. An vero huius fuerit sententia S. Thom. quem in hanc sententiam discipuli ipsius pettrahere conantur, c. 5. dicemus.

CAPVT III.

Res non esse realiter præfens æternitati ab æterno, nec eandem præsentiam esse rationem certitudinis scientia Dei verior opinio fert.

T Ametsi præcedens sententia aliquib. ante annis fuerit in scholis satis plausibilis, iam vero opposita magis recepta est: quæ etiam apud antiquos Scholasticos communior erat, & meliora multo habet fundamenta: ea vero duo asserit, vñ est, res futuras non esse præfentes æternitati ab æterno præfentia reali, sed solum in mēte Dei præfentia obiectiua: alterum est, eam præsentiam, quam prior sententia adstruit, non esse deo rationem cognoscendi certo futura: quinimo, ut paulo inferius monstrabimus, etiam si essent præfentes propter æternitatis eminentiam, nihilominus prius natura, quam præfentes essent, à Deo cognoscerentur.

Priorem partem defendunt *Alexand. i. p. q. 23. m. 4. a. 7. Bon. in i. d. 39. a. 2. q. 3. Seco q. 1. S. aliter ponitur, & S. Contra istud Dur. q. 3. nu. 2. & seq. Gab. in i. d. 38. q. 1. a. 2. post prim. conclus. Greg. q. 1. a. 2. circa fin. Mas. in suo castigatorio in expositione huius art. S. Th. ubi refert priorem sententiam à multis Doctoribus notatam fuisse Parisijs, quam S. Th. falso tribuebant: adde etiam alios Thomistas, quos c. 5. referemus.*

Primum autem probari posset auctoritate Aug. 12. de ciuit. Dei cap. 15. in fine, ubi ait de Deo: *Et si potentiam suam fabricatoriam (ut ita dicam) velut subtrahit, ita non erunt, sicut antequam fierent, non fuerunt: sed ante dico æternitate, non tempore.* Ergo sentit Aug. antequam fuissent in suo tempore, non solum non fuisse in priori tempore, sed neque in æternitate: quod si fuissent ab æterno realiter præfentes æternitati, fuissent in illa ante tempus.

Valquez. in 1. part. Tomus 1.

Deinde rationibus confirmari potest, prima est Scoti hoc modo: ut immensitas Dei non est ab æterno præfens omnibus locis in tempore futuris, vel contra, loca non replentur Dei immensitate ab æterno; ita nec res futuræ ab æterno continentur ipsa æternitate. Secundo arguit Scotus: si res ab æterno sunt realiter præfentes æternitati, aut, sicut aduersarij dicunt, realiter coexistunt æternitati, & non solum habent illud esse diminutum, hoc est, esse obiectiuum, quod docet Scotus; sequitur, non posse in tempore, & propria mensura produci: idem enim bis produceretur manens in suo esse: hæc ratio magis illustrabitur quarta ratione, quam ex Dur. latius prosequemur.

Tertia ratio, quoties aliqua plura existunt simul, aut coexistunt (ut S. scholastici loquuntur) cum aliquo tertio simul, etiam inter se existere, aut coexistere necesse est: atqui non omnia futura secum coexistunt realiter, sed aliqua sunt alijs priora; ergo nec coexistunt realiter æternitati.

Ad hæc duo posteriora argumenta putat Caiet. responderi sufficienter ex doctrina præmissa in primo cap. quia non recte arguitur à duratione æternitatis, & à coexistentia reali cum illa, ad durationem temporis, & propriam ipsarum rerum, & ad coexistentiam earum inter se secundum illam. Quare non recte infertur, inquit ille, res est realiter æternitati præfens, antequam fiat: ergo non potest realiter produci: quia quod est sub aliena mensura, potest nouiter produci in propria mensura: ergo cum res sint in æternitate, non ut in propria, sed ut in aliena mensura; nihil obstat, quo minus in propria deinde nouiter producantur, eodem modo non sequitur, plura coexistunt æternitati, ergo & inter se: æternitati enim coexistunt propter ipsius summam latitudinem, quæ omnia complectitur, coexistunt tamen ei in aliena mensura: sed inter se propria solum duratione, & mensura coexistere possunt.

Hanc tamen solutionem efficaciter impugnat quarta ratio, quæ etiam est Dur. quoniam quod in se nihil adhuc est, nihilque habet proprii esse, & propriæ durationis, quæ à suo esse non distinguitur, non potest mensuræ & durationi alienæ coexistere: nam coexistere alteri, supponere videtur propriam rei coexistentis existentiam, ut primum, & necessarium fundamentum: futura autem, etiam necessaria, ab æterno in se nihil fuerunt, nec aliquid propriæ durationis habuerunt: ergo nec ipsi æternitati potuerunt coexistere.

Huic rationi ergo non video quid Caiet. respondeat, aut Thomistæ, eamque euidentem existimo: sed ipsa adhuc aduersarios sic urgeo. Res inferiores non dicuntur ita esse in æternitate, ut æternitas sit intrinseca, & propria ipsarum durationis: sicut enim non existunt existentia Dei, nec ipso esse Dei esse dicuntur; sic etiam nec duratione Dei dicuntur realiter durare, sed vnaquæque res, sicut in se habet suum esse, ita etiam, & suam durationem, qua vere, & realiter durare dicitur, ut disputatione 33. sæpius dictum est: solum autem res creatæ sunt in æternitate, vel illi coexistunt, sicut etiam sub tempore, & motu primi mobilis, tanquam sub extrinseca duratione, & mensura: quamuis enim æternitas non sit aliarum durationum mensura, ut disputat. 31. dictum est; tamen alijs rebus præter Deum æternitas est extrinseca quadam duratio, cui etiam illæ coexistere dicuntur: vero

Ff 3

dicatur

Prima ratio Scoti.

Secunda eiusdem.

Tertia ratio.

Caietani. responsio.

Impugnatio quarta rationis ex Durand.

Eadem ratio urgetur amplius.

dicatur esse mensura, nunc parum interest: hoc enim, aut alio modo eternitas non tribuit rebus esse, & durationem: quomodo igitur fieri potest, ut alie res, quæ nondum verum esse, & propriam durationem habent in seipsis, æternitati, quæ est illis omnino extrinseca duratio, vlla ratione coexistere dicantur? Nam quo pacto ab æternitate comprehendere potest, per extrinsecam tantum coexistentiam, id, quod in se nondum aliquid est? Porro æternitatem esse supra omnem durationem, hoc tantum præstat, ut res, quocunque tempore existant, æternitas complectatur: & ipsi omnes eo tempore coexistant: efficere vero non potest, ut aliquo modo ipsi coexistant ea, quæ nondum proprium esse, aut existentiam habent: nam neque aliena duratio, aut existentia potest quidpiam aliquo modo existere, aut durare: æternitas igitur, cum extrinsece alijs rebus adsit, non faciet ipsas aliquo modo esse: quare nec sibi coexistere: hoc enim in denominatione extrinseca consistit, quæ supponit verum esse ipsarum rerum quas denominat.

Porro hoc solum conuenit cognitioni, quatenus cognitio est, ut vi sua faciat intelligenti res obiectiue præsentis, quæ nondum sunt, quia illud esse præsentia tantum est repræsentari; potest autem repræsentari id etiam, quod est possibile tantum, sed coexistere vere nullo modo aliquid potest existentia, & duratione solum alterius rei.

Quinta ratio est ab absurdo. Quia sequeretur futura contingentia, etiam ab Angelo certo sciri: duratio enim substantiæ illius, quæ dicitur æuum, est tota simul, ut ostendimus disp. 33. æuum igitur complectitur simul omnia deinceps futura, & omnia ipsi simul coexistunt. Si igitur futurorum existentia in æternitate, causa sufficiens est, ut à Deo certo, & infallibiliter cognoscantur, erit etiam existentia futurorum in ipso æuo Angelorum, ut etiam certo ab Angelis sciatur.

Audiui quosdam hoc argumento conuictos concedere, futura quidem cognosci ab Angelo, non tamen ut ipsi futura, sed ut præsentia iam in suo æuo; quod est plane falsum, & absurdum. Hinc namque sequeretur ea, quæ nobis reuera futura sunt, ab Angelis certo sciri: tamen si ei sunt præsentia: quare & diem iudicii optime scient, contra illud, *De die illa nemo scit, neque Angelus Dei*. Nec alio sane modo prior sententia Deo tribuit futurorum scientiam, quam quia præsentia sunt eius æternitati: ergo iam angelis concederent id, quod Deo tribuunt.

Alij respondent cum Caietano in hoc art. hoc pacto. Quamuis æuum totum simul substantiam Angeli meratur illius tamen cognitionem, non meratur æuum, sed tempus discretum. Ex quo inferunt, ea, quæ nobis sunt futura, esse præsentia scientiæ ipsius Dei, quia hanc meratur æternitas, non minus, quam substantiam eius. Cum igitur futura sint præsentia æternitati, sunt etiam præsentia scientiæ; verum scientiæ Angeli non sunt præsentia, quia illam meratur tempus discretum, non æuum: sed sunt præsentia substantiæ Angeli, quam meratur æuum, totum simul, & permanens. Parum autem refert futura esse realiter præsentia æuo substantiæ Angeli: ut certo ab Angelo cognoscantur: si præsentia non sunt ipsi cognitioni.

Verum hæc solutio non satisfacit. Nam cum opposita opinio dicit, ex præsentia reali, futurum Deo certo cognosci, non loquitur de præsentia

obiectiua: sic enim esset inutilis quedam repetitio, ideo scilicet cognosci à Deo futura, quia sunt obiectiue præsentia: ac si diceremus, ideo certo cognosci, quia certo cognoscuntur: esse enim obiectiue præsens, idem omnino est, quod cognosci: sed loquitur de præsentia reali alicui permanenti mensuræ, & durationi intelligentis, ex qua provenit, ut obiectiue etiam ei sint præsentia, hoc est, ut ab eo cognosci possint: ergo sicut sufficit, futura esse præsentia æternitati substantiæ Dei, aut etiam cognitionis ipsius, quæ idem cum substantia est, per præsentiam realem, ut inde deducamus, etiam præsentiam obiectiuam: ita sufficiet, esse præsentia realiter æuo substantiæ Angelorum, ut etiam sint præsentia obiectiue cognitioni ipsorum.

Sed adhuc Caiet. magis virgere possumus: quia in sententia Thomistarum est aliqua intellectio Angelorum, quam non meretur tempus discretum, sed æuum, sicut substantiam illius: huic ergo possint esse futura omnia realiter præsentia, & ratione huius præsentia cognosci, quia sic non solum erunt præsentia Angelo secundum substantiam, sed etiam Angelo, prout intelligenti. Demum quæcumque cognitio Angelus habet perfectioris tantum in suo esse, & tota simul permanet pro aliqua parte temporis nostri, prout Angelo, placet, plus, aut minus in ea permanere; ergo huic poterunt futura illius partis temporis præsentia esse, & ita certo ab Angelo sciri.

Quod si aliquis dicat, debere non tantum coexistere futura intellectio Angelis secundum esse per præsentiam realem, sed etiam per præsentiam obiectiuam, ut ab eo certo cognosci possint: futura autem nequeunt obiectiue repræsentari Angelo, quocunque in sua propria duratione, & mensura præsentia sint; solutio hæc est manifeste nugatoria, & inutilem continet repetitionem, ut paulo ante notabamus. Nam si ex præsentia reali in duratione æternitatis non colligeretur obiectiua, ut res, quæ realiter præsentis sunt Deo, ab eo cognosci: tunc, sed ex præsentia obiectiua id esset probandum; frustra laboratum esset in probanda præsentia in æternitate: sed statim incipiendum esset ab obiectiua & probandum, res futuras obiectiue repræsentari Deo, & ideo cognosci. Quod si ut futurum aliquod repræsentaretur, parum referret esse præsens præsentia reali; frustra adducere- tur permanentia æternitatis, quæ sua duratione omnia successiua complectitur, ad probandum, Deo omnia futura esse præsentia: aut si in Deo ex reali præsentia probatur obiectiua, in Angelo etiam euidenter colligitur: & hæc de priori parte nostræ opinionis.

Posterior etiam facile probari potest, primum ex dictis, si enim hæc futurorum præsentia in æternitate commentitia est, ut peripicue ostendimus; sequitur, eam non posse esse Deo rationem cognoscendi certo futura. Deinde etiam si ea præsentia realis esset possibilis, inutilis omnino esset, ut ex ea solum deus certo sciret futura. Nam ut duabus seq. disput. ostendimus, ipsas res esse futuras, est deo optima, & propria ratio eas certo cognoscendi; quare quia prius esset rem esse futuram in sua mensura, & tempore quam præsentem in æternitate, si præsentia illa esset possibilis, ut disp. 66. c. 2. ostendimus antequam intelligerentur futura in æternitate esse præsentia, certa & infallibili scientia à Deo cognita essent.

Recentiores

*Æternitas
cur dicatur
esse supra
omnem du-
rationem.*

*Quinta ra-
tio ab ab-
surdo.*

*Recentiorum
solutio repro-
batur.*

*Matth. 24.
Matth. 23.*

*Enchiridion
Caietani.
Ch. 10. c. 1.*

19

Præcluditur.

20

21

*Aliorum
sententia
reprobatur.*

*Secunda pars
conclusionis
probat.*

Recentiores nonnulli Thomistae hac ratione conuicti fatentur ingenue, hanc praesentiam futurorum in aeternitate necessariam non esse, vt futura certo, & infallibiliter cum sua futura existentia proprio conceptu cognoscantur; sed tantum ad hoc esse necessariam, vt scientia Dei circa futura sit intuitiva: quia putant, scientiam intuitiuam vocari eam, quae fertur in rem actu praesentem. Ceterum hac necessitate nullus ex antiquis Thomistis hanc praesentiam futurorum in aeternitate posuit: sed tantum, vt certa, & infallibilis esset scientia Dei: quia antequam intelligerentur praesentia in aeternitate, videbantur ipsis non esse determinata, vt cognosci possent. Quod si semel concedamus cognosci posse futura proprio conceptu & infallibiliter, prout in se ipsis futura sunt: quid opus est, concedere etiam Deo cognitionem, quam ipsi vocant intuitiuam, hoc est, eorumdem futurorum, prout praesentium in aeternitate? haec enim scientia nihil habet maioris perfectionis, quam illa, quae fertur in futura, vt in se ipsis futura sunt: imo summa perfectio videtur esse cognoscere futura, vt futura quia talia sunt, non praesentia. Cum igitur non sit necesse tribuere Deo hoc genus scientiae intuitivae futurorum, antequam in sua propria mensura praesentia sint, frustra tam difficilem opinionem de praesentia in aeternitate defendemus. Porro autem tam certam, & infallibilem esse scientiam futurorum, prout futura, quam prout praesentia sunt, constabit ex ijs, quae dicemus disp. seq. Adde quod, vt ostendimus disput. 134. scientia intuitiva non est dicenda tantum, quae fertur in praesentia secundum locum, aut tempus proprium; sed quae fertur proprio conceptu in rem non abstractam ab existentia; sed suo tempore existentem. Atque maior profecto perfectio, quae possit convenire cognitioni, est, vt feratur in res ipsas, prout ipsae sunt, aut futurae aut praeteritae, aut praesentes; quam ferri in futuras, prout praesentes.

CAPVT IV.

Satisfit argumentis prioris sententiae.

24 **A**m vero fundamenta prioris sententiae euertere necesse est. Sed vt testimonio Patrum priori loco adductis, & ad rationes, quas inde deduximus, respondeamus, notanda est doctrina, quam ex eodem Augustino & Aristotele supra attulimus disp. 38. cap. 1. in fine, videlicet rem posse etiam oculo corporeo videri in absentia, si Deus speciem illius conseruet: idque adeo perfecte fieri, vt ipso obiecto iterum praesente secundum rem, nihil omnino addatur perfectionis visioni; sed ita clara permaneat in absentia obiecti, si species perfecta conseruetur, sicut in praesentia illius est. Quare res, quae videretur hoc modo, dum esset obiectum absens, non videretur iterum noua aliqua visione, quando obiectum fieret praesens.

Deinde obseruandum est, rerum praesentiam apud homines esse veluti praehensionem quandam, & praecognitionem rei futurae ita consulam, & obscuram, vt quando ipsa res praesens, sit praesens, multo clarius videatur, ac proinde cognitionem illam praehensionis muret in clariorem: quare apud nos communiter praesentia est veluti anticipata, & immatura scientia. Id quod non solum verum est in praesentia, & diuinatione rerum contingentium, sed etiam necessariarum: nam &

Astrologus aliter nouit eclipsim futuram, aliter videt praesentem. Hunc modum praesciendi futura, indicauit Augustinus. 11. confessionum cap. 18. vbi ait, *Aug.* Cum ergo videri dicantur futura, non ipsi, quae nondum sunt, id est, quae futura sunt, sed eorum causa, & forsitan videntur, quae iam sunt. Ideo non futura, sed praesentia sunt iam videntibus, ex quibus futura praedicuntur. Deus autem, quae sua est in intelligendo peripicacitas, ita ad viam intraetur res, quae nobis futurae sunt, & iudicat tali tempore esse futuras, tali autem esse praesentes, tali vero esse praeteritas; vt variatio rerum in se nihil addat, vel adimat perfectionis scientiae Dei.

Cum igitur Augustinus, Gregorius, Boethius, & Anselmus dicunt, in Deo esse praescientiam, sicut poenitentiam, improprie loquuntur de praescientia humano modo, quae est obscura quaedam rerum praesensio. Haec enim non est in Deo, sed instar huius dicitur Deus praescire: quia antequam res nobis euentiant, iam ipse nouit: in quo solum cum praescientia magis proprie accepta conuenit: sicut Deus cum id, quod fecit, destruit, se habet instar eius, quem poeniter facti. Ac proinde in horum Patrum sententia potius Deus dicitur sentire, & scire, & videre, quam praescire, praescitire, & prauidere: quia res licet nobis futuras, ita perfecte intuetur, sicut futurae sunt, sicut nos videmus res nobis praesentes, & multo melius.

Ex hac eadem doctrina responderi facile potest ad rationem eo loco adductam pro priori sententia. Si enim in Deo esset praescientia, seu praesensio illa imperfecta futurorum, sine dubio Deus idem bis sciret, & posterior notio perfectior esset: atque hoc absurdum continet inferre Augustinus, si in Deo illud genus praescientiae concedamus, nam si prior Dei cognitio obscura esset propter obiecti distantiam, & absentiam; posterior propter obiecti praesentiam perfectior esset. Quod si Deus ab aeterno tam perfecte videt futura, quam sit reuera praesentia essent, quod eorum cognitio ita distincte, & proprio conceptu feratur in rem ipsam, vt quando res futura sit praesens praesentia reali, nihil muret cognitionis in Deo; merito dixit Augustinus Dei scientiam non dici praescientiam, sed scientiam, nec ipsum prauidere futura, sed videre: ac perinde se habere erga futura, atque circa praesentia. Ex quo etiam inferitur, perpetuam aliquos recentiores nolle appellare scientiam, quam Deus habet de futuris, vt futura sunt, scientiam visionis; sed scientiam simplicis intelligentiae: cum tamen Boethius iuxta doctrinam illam Augustini dicat, in Deo potius prouidentiam, quam praenidentiam vocari. Nam si hi auctores refugiant eam appellare scientiam visionis, dicent etiam, Deum non videre futura, sed prauidere, non scire, sed praescire.

An vero, nostro modo intelligendi possit in Deo distingui duplex modus scientiae futurae, alter vt est futurorum, alter vt est praesentium, sicut distinguimus scientiam possibilem a scientia futurorum, facile etiam ex dictis definiri potest. Et sit primum etiam si duplex scientia, nostro modo intelligendi, in Deo distinguatur, & ita dicamus, eandem rem non solum dupliciter, sed tripliciter a Deo cognosci: primo quatenus est solum possibilis: secundo, quatenus est futura: tertio, prout est praesens, nihilominus non inferatur absurdum, quod loco superius allegato contendit Augustinus.

Aug.

25

Aug.
Gregorius
Boethius.
Anselmus.
Testimonia
Patrum exp.
plicantur.

Ratio ex Augustini testimonio satis soluitur.

26

Scientia futurorum in Deo est scientia visionis.
Boethius.
Augustinus.

27.

Num scientia rerum futurarum & praesentium diuersa sit.

Prima res spuria.

gustinus; illud enim solum sequitur, si dicamus rem futuram primum à Deo cognosci sub umbra, & confuse, deinde distincta, & clara notitia, cum res ipsa præsens est: quæ magnam in Deo esset variatio, & imperfectio.

Qui vero distinguere duplicem in Deo scientiam alteram futurorum, alteram vero præsentium solo nostro modo intelligendi diuersam, sicut distinguitur scientia possibilium à scientia futurorum, non proinde cogentur asserere scientiam futurorum esse obscuram, & imperfectam, & eam perfici, aut mutari adueniente scientia rerum præsentium: sed asserere deberent, eandem scientiam secundum rem esse æque perfectam, solum vero per ordinem ad diuersa obiecta nostro modo intelligendi distinguere.

Secundum a
specie.

28

Deinde dico, scientiam Dei, adhuc secundum nostram rationem, distinguendam non esse in scientiam rerum futurarum, & scientiam rerum præsentium: alioqui eadem omnino ratione omnes dicere deberemus, addendum esse aliud membrum, nempe scientiæ præteritorum, quod tamen nullus hactenus Scholasticorum dixit. Quod si scientia, prout est futurorum, dicenda esset scientia simplicis intelligentiæ, ut recentiores volunt; eadem ratione scientia etiam præteritorum deberet appellari scientia simplicis intelligentiæ: cur autem non debeat in Deo distingui, etiam nostro modo intelligendi, nisi duplex scientia, altera simplicis intelligentiæ, quæ sit rerum possibilium, altera vero scientia visionis, quæ futura, præterita; & præsentia simul complectatur, ratio est satis manifesta: quoniam ex parte obiecti non differt scientia futurorum, præteritorum, & præsentium, eo quod quocumque ex his modis scientia Dei fertur in rem secundum essentiam, & existentiam actu. Quod vero illa existentia ut præterita, aut futura, aut præsens intelligatur, non est in causa diuersitas in re cognita, sed in tempore, ad quod res cognita refertur: eadem enim res cum sua existentia distincte cognita, prout refertur ad vnum tempus, dicitur præterita; prout vero refertur ad aliud, dicitur futura: relata denique ad aliud dicitur præsens: at vero scientia simplicis intelligentiæ, quæ res tantum, ut possibilis cognoscitur, rem certe in se ipsa alio modo considerat, quam scientia visionis: intelligit enim essentiam rei solum sine existentia eius. Cum igitur talis sit diuersitas ex parte rei consideratæ, merito nostro modo intelligendi distinguimus duplicem scientiam in Deo, alteram simplicis intelligentiæ, alteram visionis.

29

Alia patrum
testimonia
explicatur.

Ad testimonia Patrum posterius allegata facilius responderetur; in primis dicimus, Patres citatos disputatione 32. capite 2. qui asserunt in æternitate non esse tria illa tempora, *Fuit est, erit*, sed tantum, *Est*, non negare res creatas, quæ sub his tribus temporis differentiis sunt, ab ipsa æternitate successive comprehendere, & ei successive coexistere: neque asserere, simul cum illa esse debere: sed tantum negare, in ipsamet æternitate successionem intrinsecam, quia nulla in ipsa varietas esse potest: nihil tam obstat quo minus ea, quæ in se ipsis successionem habent, & inuicem sibi succedunt, successive etiam coexistant æternitati: nam rei permanenti, qualis est æternitas, res aliæ succedentes sibi inuicem, successive etiam assistere debent: & hoc sensu dixit Anselm. omne tempus æternitate ipsa concludi; non quia simul omnia æter-

Æternitas
qua ratione
omnia com-
plectatur.

nitati coexistant: sed quia æternitas semper manens, omnia, quæ successive fiunt, tandem amplectitur, & cum omnibus perseverat, etiam ipsa deficiant & succedant.

Præterea quod Greg. Beda, Anselmus dicunt Greg. Beda, Anselm. res omnes æternitati Dei esse præsentem in conspectu illius, non negamus; nam id de sola obiectiva præsentia, quæ non perficitur aduentu ipsarum rerum in tempore, intelligi debet: & ideo Deus omnia simul vno intuitu videt. Sed hoc non probat præsentiam realem, quam Doctores prioris sententiæ comminiscuntur, ut ex verbis citatis pro priori sententiâ perspicue liquet: id quod amplius ex verbis Greg. Magni, quæ paulo inferius subiungit confirmatur: cum enim dixisset, futuram à Deo non præiudicari, quia illud præsens videt, subdit: *Nam & quæcumque sunt, non ab æternitate ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.* Vbi si loqueretur Greg. de præsentia reali in æternitate, dicere debeat iuxta doctrinam prioris opinionis, ideo ea cognosci, quia in æternitate sunt: cum vero dicat, id eo esse, quia cognoscuntur, plane indicat, se loqui de præsentia obiectiva, de qua vere dixit, ideo res esse, scilicet præsentem, quia cognoscuntur: cum enim cognitio sit expressa rei repræsentatio, ipsam facit præsentem.

Iam vero multo facilius rationes prioris sententiæ dilui possunt. Ad primam respondeo, licet æternitas in semetipsa sit tota simul absque ulla successione sui, & complectatur res omnes in tempore existentes: tamen eas non comprehendit simul, sed successive, sicut ipsæ sunt: nam eas aliter continere non potest, quam cum illis simul existendo in sua cum illis existentia perseverando. Quare, ut simul cum eis existeret, & ita constanter omnes contineret, necesse erat, ipsas etiam perseveranter & simul esse: cum vero sibi inuicem succedant, successive etiam eas comprehendit, non quidem successione ex parte sui, sed ex parte ipsarummet rerum, quæ contineri dicuntur: atque idcirco si quæ ex hoc in æternitate ponitur successio, ea est extrinseca solum denominatione ex rebus contentis sibi succedentibus: sicut locus idem manens, sine successione vlla sui continet res plures successive, eo quod ipsæ res in loco sibi succedant. Ad secundam rationem iam satis dictum est, ad tertiam vero ex ijs, quæ disp. seq. dicemus, quid sit respondendum patebit, ibi enim manifestum erit, aliam esse sufficientem, & propriam rationem, ob quam futura, quantumvis contingentia, & ad vtrumvis, certo & terminate à Deo cognoscantur: quare non opus est ad hanc præsentiam recurrere, & ingenia hominum, in re manifestissima frustra torquere.

CAPVT V.

Quid de hac præsentia senserit S. Thomas.

Scholasticorum Thomistarum hoc tempore communiter docet, præsentiam illam realem, quam prior sententia adstuit, esse ex mente S. Thom. probant primum ex verbis huius art. 13. vbi ait: *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentem, ut quidam dicant, sed quia eius intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentia.* Quod si de præsentia tantum obiectiva loqueretur, ratio, quæ probat futura certo à Deo cognosci, quia videlicet ea sunt ei præsentia, esset negatoria quædam petitio

Sensentia
revertitur
Thomistarum
locus sancti
Thomas pro
illa.

petitio

32 petio principij, est et enim, ac si diceret, ideo certo cognoscit, quia ea habet obiectiue presentia, cumque habere obiectiue presentia nihil aliud sit, quam cognoscere, petio deesse, ac dicere, ideo cognoscuntur, quia cognoscuntur. Hac ratione, quam ex hoc loco deducit *Ferrariensis*. i. *contra gent.* cap. 66. sibi habet persasum, opinionem illam esse S. Thom. Deinde est alterum testimonium 1. *con-* *tragent.* cap. 66. in 5. ratione, ubi ait, aeterno nihil posse coexistere ex parte, sed necesse esse, toti coexistere: quocirca & diuinum intellectum intueri omnia futura, quasi presentia: per presentiam autem obiectiuam non dicitur res coexistere Deo, ergo ibi non loquitur S. Thom. de obiectiua, sed de reali presentia, qua res vere, & realiter Deo existant: si quidem ex coexistentia reali, qua res ab aeterno presentes sunt Deo, inferat, eas a Deo cognosci. Eodem pacto loqui videtur in 1. d. 38. art. 5, & q. 2. de veritate art. 12.

Verum antiqui, & non minus graues Thomistarum modo intellexerunt sententiam S. Thom. atque meo quidem iudicio multo verius, & magis secundum mentem illius. Nam quam autem S. Thom. presentiam illam realem futurorum in aeternitate docuisse, senserunt *Archiepiscopus Hispalensis*. *Dezaim* 1. d. 38. q. 1. art. 3. *Heruicus* eadem disp. & *Siluester* in defensorio doctrinae S. Thomae: imo *Aegidius* & ipse quondam Sancti Thomae discipulus, & auditor in suo castigatorio aduersus corruptorem Thomae in observationibus in hunc articulum, vindicare contendit Doctorem Sanctum ab hac sententia, tanquam a calumnia, quam quidam Parisienses Doctores suo tempore S. Thomae tribuebant, & ob eam erroris ipsum infimulabant. Docent vero Thomistarum citati S. Thom. vbique loqui de presentia obiectiua, non de reali, & de presentia rerum in ipso Deo, non extra: ita ut nihil extra Deum ab aeterno ei coexistat: sed in ipso solum res ab aeterno esse dicantur. Id quod de existentia obiectiua intelligendam est. Id autem manifestum fiet, si ostenderimus, in hoc articulo nihil de presentia illa reali haberi.

34 Triagitur docet in hoc a. 13. Primum est Deum scire omnia futura: id autem probat, non ex eo, quod sunt presentia, ut quidam falso arbitrantur: sed inde, quia comprehendit omnia, quae sunt in sua, & creaturae potentia. Quare cum omnia futura sint in sua, & creaturae potentia, omnia necessaria cognoscit. Secundum est: futura a Deo cognosci in seipsis, non in causis. Hoc etiam non probat ex presentia reali, sed quia causae sunt ex se indifferentes ad utramvis partem, quocirca in ipsis nihil esse potest: unde cognoscantur certo futura: ergo cum Deus ea certo cognoscit, non in causis, sed in seipsis ea scire debet.

Tertio docet Deum intueri omnia haec futura ab aeterno sine successione. Probat vero quia eius aeternitas est tota simul: quare & eius etiam cognitio, cuius duratio est ipsa aeternitas, erit tota simul. Hinc infert, intellectum Dei simul ab aeterno ferri in res omnes futuras, ac si praesentes essent, nealiqua in scientia illius successio sit. Ex quo etiam colligit, omnia, quae sunt in tempore futura, esse Deo presentia non solum in rationibus aeternis (ut quidam dicunt) hoc est, in essentia sua, ut habet rationem speciei intelligibilis, sed quia eius intuitus, & cognitio actualis fertur in res omnes futuras: ubi de obiectiua presentia aperte loqui-

tur. Ideo enim dicuntur a S. Thoma res Deo praesentes, quia intuitus eius fertur in illas. Quod si de reali illa presentia Caierani loqueretur Sanctus Doctor, dicere debuisset contra, ideo intuitum Dei in res ferri: quia sunt ei praesentes. His autem verbis non vult reddere rationem, ob quam a Deo cognoscantur: sed vult explicare modum, quo Deus omnia sibi presentia simul habeat, quo sensu etiam loquitur supra art. 9. Deinde subiungit haec verba: Unde manifestum est, quod contingentia & infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur diuino conspectui, secundum suam presentialem, & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata. Quibus verbis etiam non reddit rationem, quare cognoscantur futura a Deo: quia scilicet subduntur conspectui ipsius (de hac enim presentia plane loquitur) haec namque esset nugatoria quaedam petitio principij: sed explicat modum, quo cognitio Dei est infallibilis, quia scilicet fertur in res ipsas, quas suo conspectui habet praesentes, & nihilominus futura cum suis causis collata, contingentia, & indifferentia sunt. Haec sufficiant in expositionem articuli, ex quibus cetera testimonia Doctoris Sancti explicari facile possunt, & rationi, quam *Ferrariensis* adduxerat, responderi.

DISPUTATIO LXV.

An aliqua ratio certitudinis scientiae, quae Deus nouit futura, assignari possit.

Variae Scholasticorum opiniones. cap. 1.
Ex decreto voluntatis Dei sufficiens causa, remota tamen, certitudinis scientiae assignari potest, cap. 2.
Solutio obiectionum contra hanc sententiam, c. 3.
Ex veritate futurorum, & infinitate intellectus, Dei, optime infertur certitudo scientiae ipsius, cap. 4.

CAP. I.

Variae Scholasticorum opiniones.

Explosa iam ratione communi quorundam Thomistarum, qui ipsi explicare, & defendere nituntur certitudinem scientiae Dei, quia videlicet res Deo non sunt futurae, sed vere praesentes presentia reali; alia nobis ratio inuestiganda est, parati enim esse debemus, ad rationem reddendam eius, quae in nobis est fidei, in ijs praesertim rebus, quae non supernaturali reuelatione solum, sed naturali, & philosophica ratiocinatione etiam indagare possumus: in ea tamen ratione reddenda variant reliqui Scholastici, quorum placita more solito in hoc cap. recensebimus.

Primum Nominales, Okam in 1. d. 38. q. 2. non longe a fine, Gab. q. 1. a. 2. post secundam conclusionem, Greg. tentia Nominalium. Okam. Gabriel. Greg. Primum sententia Nominalium. Okam. Gabriel. Greg. dicunt, non posse certam aliquam & propriam rationem huius certitudinis scientiae Dei in hac vita assignari, sed hoc dicunt ad perfectionem, & infinitatem scientiae Dei spectare, ut futura etiam contingentia, & indifferentia ad utrumvis, non minus certo, & determinate cognoscant, quam ea quae naturali necessitate eveniunt. Cum his videtur facere *Marsilius* in 1. q. 40. ante 1. art. quaest. tamen rationem, quam infra ex S. Thoma referemus, ipse quoque eo loco assignauerit. Verum, ut initio capitis dixi, enitendum nobis est rationem huius veritatis inuestigare, siquidem non sola reuelatione id nobis constare potest.

Inter eos igitur, qui rem hanc ratione explicare, & enotare conantur, occurrunt in primis S. Thom.